

animum nullo unquam tempore desinet. Unde non sine ratione comparantur lunæ interjectu terræ Eclipsin patienti, & corporis sui non jam illustrati a sole sed opaci & obscuri defectus pudenti, omniumque illico oculis notatæ & observatæ, subjecto lemmatæ: **CENSURÆ** patet.

TH. X.

DEnique & hoc obtendi posse videtur: quod cæterorum studiorum cultores omnium tamen confessione meliores quodammodo Jctis, in sensu ad minimum negante deprehendantur, quandoquidem, ubi hi in devia feruntur, vix in viam, unde discessere, reduci queant! Responsionem suggerit divinum illud ad Samuelem effatum: Homo respicit quæ ante oculos versantur, sed Deus introspicit corda! Ideoque si quisquam alius in suo vitæ genere præscripta sibi officia negligat, nec adeo voluntatis suæ inclinationes meliores esse quam Jcti iniqui probare potest, quin ubi detur occasio, eadem facilitate quam iste, in prava quævis ruat, atque ita non tam amore virtutis, quam potius per defectum commodæ occasionis peccare intermittat; num quæso ille propterea meliori præsumptione dignus haberi poterit?

TH. XI.

Nulla ergo causa est, quare Illustris Jctorum ordo, qui Jura legesque interpretatione sua conservat v. l. 2. §. 13. ff. de O. J. jusque inter homines dispensat, tam iniquo dictorio sit prægravandus, quam locutionem non verbis evellendam sed verberibus revellendam esse pronunciat Arithmæus. Veri enim Jurisprudentes (quorum non minorem habemus numerum ac cæteri in suis facultatibus)